

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Avctoriate Et Svb Avspiciis ... Domini Gvilielmi IX.
Academiae Rectoris ... Ad Novi Magistratvs Academici
Inavgvrationem Ipsiſ Calendis Ianvarii A. MDCCLXXXVIII
Celebrandam ... Invitat ...**

Münscher, Wilhelm

Marbvgi, [1799?]

VD18 1332246X

§. IV.

urn:nbn:de:gbv:45:1-7906

Iustino (sine mentione libri) adscripta, Dialogo cum Tryphone attribuere, aliis vero rationibus p. 160 et 161 expositis motum existimare, ex aliqua parte mancum ad nos pervenisse Dialogum.

Et si Iustinus in questione oratione habeat esse iustinianus? supponit seipso hunc utriusque iudeo latine opus, et non magis sicut usum fratrum doceamus si quis re

§. IV.

Satis igitur constat, iam ab Eusebio Dialogum nostrum genuinum Martyris opus esse habitum. Quod etiam S. R. Langius non in dubium vocavit, sed ex solis argumentis, quae interna dicuntur, probare annis est, librum istum ab alio quam Iustino auctore confectum esse. Nec ego, et si Veterum testimonia in hac quaestione historica magni faciam, neque ea temere reficienda esse existimem, in eius partes transire dubitaverim, si ex indole et argomento libri probatum fuerit, eum in Iustinum plane non cadere. Eam vero probationem, qua antiquorum testimoniorum auctoritas labefactetur, claram et indubiam esse oportet, nec solis coniecturis et comparationibus lubricis nisi. Omnem, exempli gratia, litem diremtam esse faterer, si Dialogi auctor se Iudaeum ipse appellaret, eoque a Iustino Neapolitano-Samaritano clarissime se distingueret. Affert hunc in finem S. R. Langius locum: *Εἰμὶ δὲ Ἐβραῖος ἐκ περιτομῆς -- ἐν τῇ Ἑλλαδὶ πολλὰ διάγων).* Verum totus locus nexus docet, hanc descriptionem minime ad auctorem libri esse referendam. Non enim Christianus cum Iudeo disputans, sed ipse Trypho

1) Dogmengeschichte p. 145. Verba Dialogi extant in Opp. Iust. p. 218.

B



Trypho Iudeus, cuius ad Iustinum responso narratur, Iudeum se appellat, quod verba praecedentia: Τρυφών καλεῖται manifeste ostendunt. Longe aliter auctor Dialogi de se ipse loquitur, sequere Samaritanum esse haud obscure profitetur ^{m)}. Omissis igitur hoc argumento, quo nihil effici patet ⁿ⁾, ad reliqua expendenda progrediamur, quae ad quatuor capita commode referri possunt; 1) totam cogitandi et scribendi rationem, in Dialogo obviam, abhorrere ab ingenio et stilo Iustini; 2) in Dialogo certi apparatum eruditionis Iudaicae, qualis a Iustino exspectari non possit; 3) deprehendi etiam doctrinas, ab iis, quas Iustinus in Apologiis exposuerit, non diversas modo, sed et eis repugnantes; 4) analogiae non esse consentaneum, Virum, qui ex paganorum castris ad sacra Christiana transiisset, in confundendis Iudeis fuisse occupatum. Si ad singula haec capita responderimus, satisfecisse proposito nostro videbimur.

§. V.

Primum quidem materiae delectu scribendique ratione auctorem Dialogi a Iustino diversum prodi affirmatur. In huius

^{m)} Οὐδὲ γέγοντα του γένους του Ἰησοῦ, λέγω δι των Σαμαρείτων p. 349.

ⁿ⁾ Vix dubito et ipsum V. R., qui locum modo memoratum adduxit, tuncdem non de Christiano auctore sed Iudaico disputatione intellexisse, et solummodo significare voluisse, talem esse ipsum libri auctorem, quem adversarium suum describat. Verum cum sententiam suam obscurius declaraverit, quaedam de hac re monere non alienum erat, ne lectori, cui Iustini opera ad manus non sint, argumentum gravissimum intactum reliquisse videar.

